

## Aduertencias par

viri cordati iudicabunt in particulari; ut po-  
te absoluere ab excommunicationibus Cæne-  
Domini, dispensare in voto castitatis, & in  
impedimentis Matrimonij de iure humano.  
Hęc, & similia absq; dubio conceduntur, quia  
hęc committi solent legatis, & sepe indiget  
hęc Ecclesia huiusmodi potestatem ad manus  
habere. Et ex sequentibus verbis Papa se ma-  
gis declarat, dum dicit, tantam quantum ipsi  
iudicauerint opportunam, & expediētem pro  
conuersione Indorum, & manutentione, ac  
profectu illorum &c.

¶ 3. Aduertendum ex Patre Magistro Alfō  
so à Veracruce, hanc concessionem magnani  
esse, neq; vnquā similieni factam fuisse; neq;  
talibus verbis ab aliquo Pontifice. Nam li-  
cet alij, vt Gregorius. 9. Innocencius. 4. Six-  
tus. 4. & Leo. 10. multa concesserint Reli-  
giosis qui ad terras Infidelium proficiuntur,  
scilicet vt omnia Sacramēta, quę simplex  
Sacerdos potest administrare, ipsi religiosi  
etiam possint. &c. Sed hanc omnimodam  
potestatem in utroq; foro nullus predecesso-  
rum dedit. In qua concessione innumera-  
sunt inclusa. Et quidem limitatio potesta-  
tis in arbitrio ipsorum prælatorum possita  
est,